



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.3. [Ingens ac summè expetenda ejus fructus utilitas.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

modò atque affectu, sed etiam ipsà re atque effectu conformantur. Cùmq; assiduè præ oculis habeant miserabilem illam viri dolorum imaginem, egentis, afflicti, oppressi, omnibus deniq; acerbitatibus dilacerati; eum sibi habitum ac formam optandam consecrandamq; existimant: neque ea proinde jam refugiunt, quæ ceteri hominum, uti gravia & odiosa averfantur; quin ea potius ed adamant exquiruntq; impensius, quòd ijs intelligant, veluti quibusdam seu penicilli seu scalpri ductibus, se in sacram quandam formam Crucifixi effigiem, eoque paulatim in amorem suum Crucifixum transformari. De quibus antea magis ex professo est dictum.

§. 3.

Ingens ac summè expetenda ejus fructus utilitas.

Quamobrem, ut hoc caput concludam: istum ego omnium hujus exercitationis fructum, in paucis jucundum, existimem, atque in primis optabilem humanæ vitæ. Nam cum necesse sit hominum generi adversa multa atque acerba incidere: qui hæc non tantum tolerare patienter, sed etiam amare atque experere, ex intima Christi crucifixi disciplina didicerit; is utili sanè patientiæ suæ compendio, & Deum oblectat mirificè, & amplificat Christi gloriam, & pretium addit suis meritis, ipsumq; laborem patiendi ac malorum sensum sibi minuit, & præsens habet in rebus adversis atque acerbis casibus allevamentum. Amore quippe (ut alio loco cum Augustino jam diximus) amore inquam dulcescunt omnia; & quæ per sese imparibilia videantur, & sub quorum pondere gemant alij, non modò redduntur tolerabilia, verum & levia & suavia efficiuntur amanti. Unde S. Bernardus illa sponsæ verba exponens; *fasciculus myrrha dilectus meus mihi: Annon fasciculus (inquit) cujus jugum suave est, & onus leve. Non quia leve in se (nec enim levum, passionis aspe-*

asperitas, mortis amaritudo) sed leve tamen amanti. Et idem non ait tantum, fasciculus myrrha dilectus meus: sed mihi, inquit, qua diligo, fasciculus est. Ita Bernardus.

CAPVT V.

Fortitudo & robur animi in sufferendis
adversis.

EX eadem circa Crucifixum assiduâ exercitatione, velut sponte suâ & iste fructus enascitur, fortitudo scilicet & robur animi in suscipiendis perferendisq; rebus adversis: ut propterea Hebræos variè vexatos atque afflictos, quò robustam in malis suis constantiam teneant, hunc in modum hortetur Apostolus: *Recogitate enim eam, qui tantum sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.* Quibus aperte significat, vim illam ac robur animi in adversorum tolerantia, ex ea Christi passionum recogitatione ingenerari. Sive id ita fieri dicamus, quòd perpetuâ Christi cruciarum memoria, ejusq; vulnerum familiari tractatione, similitum heorem paulatim dediscat animus, atque veluti sine sensu, Crucifixo congruentes sensus induat, & eodem tanquam colore tingatur: sive quòd ita exercitati, pro dilecto & cum dilecto suo, quem assiduè in oculis circumferant, cujus tantimâ charitate langueant, durum aliquid sufferre, dulce existiment: sive quòd qualibet animi corporisve cruciamenta, ut adimpletionem passionum Christi aspiciant, nec tan se, quàm Christum ea perferre, & non modo secum, sed in se ac pro se dilectum pati sentiant.

Tot enim, quæ quidem huc faciant, rationes reperio ac tanquam bases, quibus (ut ita loquar) erecta stat & im-